Fragmentarium

iosue. Cumque fugerent a facie israel et essent in descensu bethoron dominus misit super eos lapi-
des magnos de celo usque azecha, et mortui sunt plures multo lapidibus grandinis
quam quos gladio percusserant filii israel. Heli autem erat senex valde, et audivit omnia que
faciebant filii sui universo israeli et quomodo dormiebant cum mulieribus que observabant
ad hostium tabernaculi. Dormisse eos dicunt hebrei cum mulieribus, eo quod post menstruum
tempus aut partum non impleto secundum legis preceptum sacrificio, suadebant eos ad viros suos
redire eisque commisceri, et dormire id dicuntur. quia eas dormire contra preceptum legis
faciebant cum viris suis. Unde idem heli post parvulum ait, non est enim bona fama quam
ego audio ut transgredi faciatis populum domini. Transgressionem ergo populus facie-
bat. quia sacrificio non rite peracto uxoribus suis iungebantur. Sicut enim vi extorquebant
carnes ab immolante, ita etiam extorquebant sacrificium ab offerente, et ideo
sicut in auferendis carnibus faciebant homines detrahere sacrificio domini, ita quoque
in commiscendis iungendis uxoribus transgredi faciebant populum domini. hoc est acci-
piam a te carnem coctam sed crudam. Carnes crudas in altari semper offerri mos
erat. et primum accendebant adipes. et tunc hii qui portabant coquebant carnes tam sacer-
dotibus quam sibi. Quia detrahebant homines sacrificio domini. Nolebant enim homines ve-
nire ad sacrificandum domino. quia illi per mala exempla sua plebem a sacrificio dei
separaverunt. et quia homines in sacrificio blasphemare compellerent. Accinctus
ephot lineo (pallio) sacerdotali. Ephot lineo scilicet superhumerali lineo. quod distat ab illo
ephot quo induebatur pontifex. quia istud tantummodo lineum fuit et concessum minoribus gradi-
bus ad utendum. illud est quod vestiebatur pontifices ex quatuor coloribus id est iacincto, bisso,
cocco, purpura, et ex auro habebatur contextum. Quomodo dormiebant cum mulieribus que
observabant. vidue erant que ibi vacabant orationibus et tunc non habuerunt licentiam
discedendi e templo. sic alia plebs. ut transgredi faciatis populum domini. Sacerdos in malo causa pec-
cati est in populum. Si peccaverit vir in virum placari potest ei deus. quia placato sibi
viro in quem peccavit placabilem facit sibi deum in viro cui peccavit. Si autem
in deum peccaverit vir. quis orabit pro eo. id est in deo quia eo minus in virum quam in deum peccatur. quia in
virum peccare peccatum quodlibet est leviorque remissio. In deum vero peccare. i.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.15, 5r – Glossae in Vetus Testamentum; Hieronymus, Quaestiones Hebraicae in librum I Regum (https://fragmentarium.ms/view/page/F-w0bv/5295/50272)